Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 893
Quelle:
Copyright:

etiam Editores *Bonaventurae* Opuſculum iſtud p. 574. pro *Libro II. de Profectu Religioſorum* venditando. Sint ſane omnia Tria *Davidis de Auguſta*, cujus nomen et Epiſtolam *Codices* ſupra citati praeferunt, neque recurrendum cenſeo ad illam *Lucae Waddingi* in *Scriptt. O. M.* p. 79. conciliationem *Bonaventurae primi autoris*, et *Davidis tanquam politoris et auctoris*. Atque, ut tandem etiam de Autore *Formulae Nouiciorum* N. VII. indicatae ſtatuam, cum vacillent *Trithemius* in *Bonav. n.* 464. et hujus Editores p. 619. ille *Librum unum de Profectu Religioſorum*, hi vero *Partem* II. *de Inſtitutione Novitiorum* adpellando, malim illam cum ob ſtili convenientiam, tum, quod in *Cod.* praeſenti reliquis III. *Davidis* Libellis juncta eſt, pariter ad hunc referre nullo ſane Ordinis Minor. detrimento.

XI. *fol.* 221. Sermo de Euchariſtia in illud: *Caro mea vere eſt cibus* &c. *Joh.* VI. Initium: *Teſtamentum nouum dignißimum eſt quia eſt chriſti ſanguine confirmatum* &c. E verbis *fol.* 223. p. 2. de Laicis: *propter hoc enim non datur eis ſacramentum de calice, ne cum multitudo communicat, de facili aliquid de chriſti ſanguine effundatur* &c. tempus ſcriptionis colligi poteſt, atque haec verba ex alio *Codice* jam *Vol.* I. P. 3. *col.* 2645. retuli.

XII. *fol.* 228. *Incipit ſpeculum monachorum* &c. Praeit Conſpectus Operis: *Tractatus iſte qui eſt de profeſſione monachorum tres habet partes. In prima forma profeſſionis declaratur. In 2ª temeritas proficientium* (profitentium) *reprimitur. In 3ª negligentia profeſſorum iam excitatur.* Atque *Partes* ſingulae deinceps in *Capita* diſpeſcuntur. Init C. I. *Cum diſpliceat deo infidelis et ſtulta profeſſio* &c. et mox ex adlata Profeſſionis Formula de Ordine *Benedictino* agi liquet. Igitur facile quis induceret in animum, obverſari ſibi hic *Speculum Monachorum* a *Bernardo* natione *Gallo* e Monacho *Saviniacenſi*, Abbate primum *Lirinenſi*, dein a. 1263. *primo* hujus nominis *Caſſinenſi* concinnatum. At vero, ubi in manus ſumſerit Editionem *Bernardi* curatam *Venetiis* cum II. *Libro Dialogor. Gregorii* 1520. 8. *min.* quam nullibi memorari video, deprehendet *Speculi* noſtri Autorem nihil niſi Opuſculi οἰκονομίαν a *Bernardo* illo mutuatum fuiſſe, remque ſuam aliis Scripturae, Patrumque locis, aliis rationibus agere. Abeſt igitur et *Prologus* ille ad *Joannem Decan.* et *Thomacium Vicedec.* et in Profeſſionis Formula τὸ *Caſinenſi*. Quare Germanum aliquem Autorem et *Bernardi* imitatorem habeo. Ait ille prope finem: *Mentior, ſi non vidi vnum abbatem LX. equos et amplius in ſuo ducere comitatu; dicas ſi videas tranſeuntes, non patres eſſe monaſteriorum ſed dominos caſtellanorum* (l. caſtellorum) Quae ſunt verba *Bernhardi* in *Apolog. ad Guil. Abbatem* C. 11. Ceterum de *Bernardo*, quem quidam *Aiglerium* vel *Ayglerium* cognominant, quod mihi nomen fratris ejus *Neapolit.*

Archie-